

CHARACTERES  
GRATI ANIMI

in obitu

VIRI EXCELL. PRÆCLARISS.

atque DOCTISSIMI

DN. M. GEORGII  
WENDII,

RECTORIS Gymnasii Thoruniensis  
fidelissimi,

*Ipsa Die funerationis*

Anno M. DCC. V. Die 12. Julii

*humillimè expressi,*

& in Honoris Aram

*erecti*

ab

Auditoribus superiorum trium Ordinum  
Gymnasii suprà nominati.

---

THORUNII,

EX OFFICINA NOBILISS. SENATUS ET GYMNASII

**M**emorare luctui Studiosorum turba,  
& cur non immorere?  
Obiit enim  
Vir Excellentissimus Doctissimusque  
**M. GEORGIUS WENDIUS,**

Rektor & Gubernator hujus Gymnasii,  
ob continuatum per ipsos decem annos munus  
verè Celeberrimus:

Vir verè Vir,  
& inter trepida ac turbulenta hæc tempora

verè *τησ γαίης*,  
quem Lacones vocabant.

Fluctuante, dum moveretur bellum, Gymnasiò nostro,  
idea constantiæ & imago:

Exactum boni Gubernatoris exemplar.

Intolerabiles sanè sustinuit labores,  
& tamen intolerabilis nulli erat,

nisi qui tolerari vel non potuit, vel non debebat.

Juventutis scholasticæ commoda semper promovit:  
Verba nulli dedit, neque eruditionem ullum celavit suam.

Quippe qui scripta sua eruditissima  
cum exteris quoque communicavit.

Hinc  
notus & ignotis.

In amorem sui ac admirationem vivus omnes trahebat.

Et quidni?

Erat sanè

in loquendo affabilis,

in docendo fidelis,

in discurrendo sævus,

in explicando luculentus,

in hortando paternus.

Ejus

Consilium, fidem, operam

nemo unquam bonus imploravit frustra,

Omnes cum magno fructu semper experti sumus.

O nos infortunatos ac miseros!

Quantum amissimus Præceptorem!

Ille respondit quærentibus de rebus curiosis ac eruditis:  
Ille nobis de studiis ulterius promovendis subvenit consilio.

Ille exemplum pietatis specimenque ostendit.

Sublato præsentis decore decus evanuit.

O acerbissimum tuum, B. Rektor obitum!

Tu quidem impetraisti, quod nos desideramus:

Tu

Tu accepisti, quod nos expectamus:  
Tu coronam incingeris,  
pro quâ tam strenuè hic depugnasti hæctenus;  
Nos verò,  
Te Duce, Te Præsidente, Te Doctore atque Rectore nostro  
derelicti, deserti, destituti.  
Quodsi DEUS nostri memoriam retinet,  
calidissimis rigandus erit precibus,  
succurrat necessitatibus nostris,  
ut Tibi succrescant similes,  
qui Gymnasii, qui Scholæ nostræ salutem ac incolumitatem  
tueantur.

ERGO LÆTUS AGAS INTER TOT JUBILA COELI,  
ET COEPTI PRÆCLARA PETANT EXORDIA CURSUS;  
QVOS IN FLORE SUO NUNQVAM RUITURA VETUSTAS  
SISTET; AT ALMA TRIAS PLENO DECORABIT HONORE!

Suprema Classis.

**Q**uæ flammis propriis lucem candela ministrat,  
Quam tenet hybernis pubes nocturna tenebris,  
Quando aliis servit tandem consumitur ipsa;  
Sic Rektor noster fuit olim lucida stella,  
Qui sibi damna tulit, dum nostrum quæreret usum.  
Non Libitina quidem, ceu res malefana timenda est;  
Sed potius felix, ut terminus excipienda;  
Non etenim frustra Silenus talia dixit:  
Non nasci est homini primum bene, deinde secundum  
Subdere colla jugo Parcarum lege furentium.  
Nos tamen ast tædet, veniunt è pectore luctus,  
Pectore jam veniunt luctus, dolor ossibus ardet,  
Dum moritur Rektor, quem fert super æthera virtus.  
O utinam porro licuisset ferre salutem,  
Longius ut Cathedram docturus scandere posset!  
Nonne datis, Parcæ furientes, signa doloris?  
Nonne queunt Doctis jam parcere spicula vestra?  
Vos, quæcunque Deæ parcendi dicitis esse,  
(Peccavi), plane quia nulli parcere scitis.  
Non juvat egregium traxisse parentibus ortum,  
Nec virtus genio res nobilitata movebit.  
En Rektor noster, quem jam lugemus ademptum,  
Gymnasii fuit Hyperion, & classis Apollo.  
Verum nos miseros! fatali morte peremptus  
WENDIUS est nomen, nomen venerabile toti  
Urbi, Gymnasio, solamen & anchora nostra:

Cum

Cùm Jonathan esset severo cæsus ab hoste;  
 Materiam luctus porrexerat atqve doloris.  
 Cùm fatis esset sublatus divus Aäron,  
 Isacidum veneranda domus tum funera flevit.  
 Nos mortem deflere tuam, *Doctissime WENDI*;  
 Officiosa jubent pietatis dogmata nostræ.  
 Vix duo præclare nobiscum lustra replesti,  
 Jam Clotho ac Atropos veniunt te tollere mundo.  
 Non paucos annos morbis cruciatus acerbis,  
 Et vix æger humi traxisti debile corpus.  
 Sed jam deponis tot tantaqve damna malorum.  
 Jamqve DEI nutu regis ardua climata mundi.  
 Quamvis luce quidem modo sis privatus in orbe,  
 Tanto majorem in cælis tibi præbet Jöva,  
 Hinc hominum curis vacuus, cœlestibus adstas  
 Cœtibus, æternum fruerisqve salute perenni.  
 Sed pro doctrina tibi jam dicantur in ævum  
 Grates, non deerunt canturi carmine laudes.  
 Semper honos nomenqve tuum laudesqve manebunt.

Prima Classis.

**N**avis ut amisso nauclero fluctibus acta  
 Horrisonis fertur, nec tumidoqve salo  
 Stare potest portu sed ab omni parte periclis:  
 Exposita est multis, interitura fere.  
 Remige ni tractæ occurratur in æqvore navi:  
 Sic quoque Musarum Pieridumqve locus,  
 Gymnasium, amisso Rectore hinc inde vagari  
 Cogor, dum remex nave revulsus abit.  
 Plangite Thorniades mea gaudia, plangite Musæ,  
 Dum rem Musarum Castalidumqve decus  
 Abstulit atra dies, & funere merfit acerbo,  
 Eximium meritis & pietate Virum,  
 Qui nostra egregie Rectoris munus in urbe  
 Gessit, & instruxit moribus ingenuis  
 Corda juventutis, moresqve infudit honestos,  
 Hinc lacrymas oculis fundite, & ore preces,  
 Lugeat hunc Cathedra, plangatqve scholastica pubes:  
 Id pietas meruit vitaqve labe carens.  
 Interea nostram navem rege Christe superne  
 Navita, qui ventos, murmura fœda maris  
 Compescis verbo, fluctus undasqve ruentes  
 A nostra cymba protinus esse sinas.

Secunda Classis.

